

Forfatter: Brahe, Tycho

Titel: Paræneticum ad Astronomiae Cultores

Citation: Brahe, Tycho: "Paræneticum ad Astronomiae Cultores", i Brahe, Tycho: *Tychonis Brahe Dani opera omnia*, udg. af I.L.E. Dreyer, 1913-29, s. 302. Onlineudgave fra Arkiv for Dansk Litteratur: <https://tekster.kb.dk/catalog/adl-texts-tycho02tom-shoot-workid54250/facsimile.pdf> (tilgået 20. april 2024)

Anvendt udgave: Tychonis Brahe Dani opera omnia

PARÆNETICVM AD ASTRONOMIÆ 295
CVLTORES.

*ET iam strata via est, multis prius inuia Seclis,
Magno equidem & vigili tandem exantlata labore,
Scandere inacceſſi liceat quâ culmina Cœli, 5
Et ſuperas penetrare domos, habitacula Diuûm:
Seu lubeat Fixas, vario ſeu tramite Motas
Deſignare Faces, curſumque ſitumque probare
Sidereum, ſummi vt conſtent Miracula IOVÆ.
Ergo agite ô Iuuenes, quibus eſt vigor acris, & altus 10
Jngenij, Genijque fauor, quibus inclyta ab ortu
Vranie Diu Cœli inſpirauit Amorem:
Et dedit Æthereis Terram ac terreſtria quæque
Poſthabuiſſe bonis: qui non temeraria vulgi
Judicia, aut tetricas voces curatis inertum; 15
Obſcuris talpas mittentes degere in antris,
Perpetuo vt cœcæ maneant, velut eſſe cupiſcunt;
Huc ſpirate alacres, populo huc poſt terga reliſto
Tendite, nec Mentem, quæ pars eſt Enthea Cœli,
Hoc patrio priuate bono; Studium atque laborem 20
Huc ferte vnamines; feſto vt ſuccurrere Regi
Alphonſo liceat, pondus non viribus æquis
Qui modo vicini tulerat, ſucceſſor, Atlantis.
Auxilium ſimul vt promptum Copernicus ingens
Sentiat. Herculeo ne dum ſe inferre labori 25
Aggreditur fidens, oneri ſuccumbat iniquo:
Sicque Poli Atlantis caſſi Alcidæque columnis,
Jngentem iam iam nutantes ferre ruinam
Cogantur, Terramque ſimul ſtatione mouentes,
Barbariæ hoſpitiûm (craſſa ignorantia Cœli || 30
Quam pariet) cunctorumque homines pecude/que fera/que 296
Turbantes caſu ancipiti, cœciſque tenebris,
Antiquoque chao miſcentes atria Mundi.
Hoc prohibete nefas, pronoque occurrite damno,
Et mecum excelſum validis conſcendite Olympum 35
Viribus, vt fiſſas mature occludere rimas,
Et ſtabilire nouis Cœli laquearia tranſtris,
Iamque prius liceat, quam Machina tota fatiſcat.
Ecquis adeſt igitur, pulcram hinc meruiſſe Coronam,
Obrizo, gemmis, ebore, & rutilante pyropo, 40
Conſpicuam, firmamque magis, ſecliſque perennem,*

Qui

Qui volet, atque animis animum sociare supernis?
 Ecquis Terricolas inter, quos continet orbis,
 Innumeros dabitur, cui tam sublimia cordi?
 Ecquis & Auctorem Mundi, per condita vasto
 5 Tot miranda Polo spectacula agnoscere gestit?
 Sicne omnes pariter tanta ad quæsitâ siletis?
 Quid musare iuuat? Manus est adhibenda labori:
 Vt tandem abstrusi pateant mytheria Cœli.
 Si quos ambitio, lucrum, ignorantia, luxus,
 10 Tam celsis retrahunt ausis, & ad infima trudent:
 Saltem alijs parcant nec commoda summa retardent.
 Ipse ego, si facili aspirent mihi Numina vultu,
 Et superare alto dederint obstacula quæuis,
 Constantique animo, velut hæcenus: omnibus vitro
 15 Annitar neruis, magni penetralia Cœli
 Pandere Terrigenis, tectisque aperire recessus.
 Tu modo mirifici sapiens fundator Olympi
 Annue, & adfer opem tua facta stupenda notanti. ||

PARS